



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 102. Innocentii de Monte Cardinalis extrema.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI. A. C. 1575. liam invadebant, revocatus Pisanum  
 Archiepiscopatum Florentiæ Ducis Fi-  
 lio cedit, Trojensem Ecclesiam in A-  
 pulia adeptus, simulque ad Constanti-  
 nopolitanum Patriarchatum nominatus:  
 ubi autem Imperator Pontifici recon-  
 ciliatus erat, ad Cæsaream suam Ma-  
 jestatem, & postea ad Poloniæ Regem  
 Legatus decernebatur, ante cujus re-  
 ditum Paulus IV. obierat, quo Ponti-  
 fice fati functo Scipio a Pio IV. ejus-  
 dem Successore comprehendi, atque in  
 arce sancti Angeli includi jubebatur,  
 eo quod criminum, quæ Carassis impu-  
 tabantur, conscius crederetur: verum  
 comperta ejus innocentia ab eodem  
 Papa libertati redditus alium impetra-  
 vit tulum. Ceterum sedentibus Pio V.  
 & Gregorio XIII. Pontificibus Scipio  
 hæreticæ pravitatis Inquisitor, necnon  
 Sabinensis Episcopus creabatur, tan-  
 dem vero obtenta vix a Patrum Sena-  
 tibus se subducendi facultate feria ter-  
 tia die vigesima tertia Julii anno æta-  
 tis suæ septuagesimo tertio e vivis ex-  
 cessit, sepultusque fuit in Ecclesia Thea-  
 tinorum S. Sylvestri in monte Quirinali.

§. CII.

*Innocentii de Monte Cardinalis ex-  
 tremæ.*

Deni-



Denique tertius erat Innocentius de Monte, qui ignobili licet genere ortus, a Balduino tamen Julii III. Pontificis fratre, ut sanctitati suæ gratificaretur, adoptatus est; quippe huic Papæ percarus erat, cumque in illius domo simiæ cujusdam curam haberet, per ludibrium ob vile hoc munus Cardinalis *Simia* nuncupabatur: Julio autem III. ad Pontificatum evector Innocentius licentiosæ vitæ apprime deditus sese in omnium vitiorum cœnovolutabat, quapropter Cardinales hujus juvenis electionem summo Pontifici acerbis verbis exprobabant, eo quod purpuræ splendor tam indigno membro obfuscaretur, unde a Pio IV. omnibus suis beneficiis exutus in sancti Angeli arcem captus abstrahitur, a Pio V. autem ejus successore in Cænobio Cassini includitur: postea vero a Gregorio XIII. libertati redditus, Romanque venire jussus ibidem S. R. Ecclesiæ Diaconorum primas tulit: reliqui tamen Cardinales semper ab ejus consuetudine abhorrebant: denique hoc anno die tertia Novembris mortuus, noctuque in Ecclesia sancti Petri in Monte aureo sepultus est. Fuit Innocentius ultimus Abbas Commendatarius Cœnobii Morimundensis, nam Pius IV. Romanus Pontifex Abbatialem illum titulum, quo Innocentium

Sæcul. XVI.  
A.C. 1577.

Ciacon. t. 3.  
pag. 759i  
Duchesne  
in hist.  
Pontif.



Sæcul. XVI centium anno millesimo quingentesimo  
A.C. 1577. sexagesimo primo spoliaverat, Mona-  
 chis Cisterciensibus Congregationis He-  
 truscæ restituit eodem anno salutis no-  
 stræ millesimo quingentesimo sexagesi-  
 mo primo.

## §. CIII.

*Petri Danesii Vaurenfis Episcopi  
mors.*

*Thuan. l. 64.* *Sanmarth.* *l. c. Et t. 3.* *Galli Christ.* Hoc item anno pariter Petrus Dane-  
 sius Vaurenfis Episcopus Vir ævo  
 suo celeberrimus obiit. Hic patria Pa-  
 rrinus ex clara familia, quæ adhuc-  
 dum Parisiis floret, anno millesimo  
 quadringentesimo nonagesimo septimo  
 natus hebraicæ, græcæ, & latinæ lin-  
 guæ peritia inclaruit, unde a Fran-  
 cisco I. Rege anno Christi millesimo  
 quingentesimo trigesimo in Collegio re-  
 gio primus græci idiomatis Professor  
 nominatus hoc munus quinque circiter  
 annis obibat, cum tanto profectu, ut  
 ex ejus schola intra exiguum hoc tem-  
 poris spatium Viri inter illius temporis  
 Doctores longe clarissimi prodirent:  
 ipse vero postea in Italiam secessit, ibi-  
 demque præcipue Venetiis, ubi diutius  
 hæsit, ingens sibi nomen comparavit,  
 atque adhucdum in Italia commorans  
 latino sermone pro Francisco I. Gallia-  
 rum Rege apologeticam vulgabat epi-  
 stolam,